



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولى BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ

N. 201124d

Miércoles 20.11.2024

Carta del Santo Padre al Enviado Especial al VI Congreso Americano Misionero (CAM 6) (Ponce, 19-24 de noviembre de 2024)

El pasado 21 de septiembre, el Santo Padre nombró a Su Eminencia Card. Baltazar Enrique Porras Cardozo, arzobispo emérito de Caracas, como su Enviado Especial a la celebración del VI Congreso Americano Misionero (CAM 6), que tendrá lugar en Ponce (Puerto Rico), del 19 al 24 de noviembre de 2024.

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

BALTHASARI HENRICO S.R.E. CARDINALI PORRAS CARDOZO

Venerabili Fratri Nostro
BALTHASARI HENRICO S.R.E. Cardinali PORRAS CARDOZO
Archiepiscopo emerito Caracensi

Quemadmodum die illa Pentecostes, cum ascendissent Apostoli in cenaculum una cum mulieribus fratribusque et Maria, matre Iesu, omnes Spiritu Sancto sunt repleti, quos postquam elevatus Dominus sibi testes usque ad ultimum terrae confirmaverat (cfr *Act 1,8.14. 2,1-2*), ita et nos hodie, qui eundem accepimus Spiritum, evangelizatores cum Spiritu facti sumus, hoc est eiusdem Spiritus virtuti sine timore aperimur e nobismet ipsis egredientes, ut cum *parresia* contenta voce in re sancti Dei populi, in qua vivimus, licet contrarii spirent venti, Evangelii novitatem tota vita nostra fratribus nuntiemus (cfr *Evangelii gaudium* 259).

Certiores porro facti proximo mense Novembri in Portu Divite VI Congressum Americanum Missionarium actum iri, de celebratione huius maximi ponderis eventus laetantes, coniungi cum sacris ibi Pastoribus et christifidelibus Nostramque benevolentiam manifestare cupimus. Quamobrem libenter invitationem Conferentiae Episcopalis Portoricensis accepimus, quam eius nomine subsignavit Praeses et Episcopus Poncensis, Venerabilis Frater Ruben Antonius González Medina, C.M.F., qui humaniter poposcit ut Purpuratum Patrem illuc Nostram gerentem Personam mitteremus, ad Nostros affectus atque aestimationem erga Pastores et christifideles benigne per eum declarandam. Quibus precibus volenti animo concedentes, Te igitur, Venerabilis Frater Noster,

ad hunc officium explendum peraptum arbitramur, qui missionalem dilectionem numquam intermisso labore testificatus es et in Christi Ecclesiam sollicitudinem. Harum igitur Litterarum virtute, ad sollemnia VI Congressus Americani Missionarii peragenda, qui inter dies XIX et XXIV proximi mensis Novembbris Poncensi in urbe celebrabitur, Te tandem NOSTRUM MISSUM EXTRAORDINARIUM renuntiamus et constituimus.

Mandamus Tibi ut tanta in explenda missione Nostro praesis nomine atque, pastoralibus Nostris sensibus et proximitate clero et populo necnon publicis auctoritatibus atque universis christifidelibus renuntiatis, omnium plane expleas desideria. Ut res ipsa postulat, omnibus praesidebis actibus, qui a sollempni Congressu praestituentur ac de evangelizatorum cum Spiritu argumenti momento loqui perseverabis. Ceterum, insuper, cunctis participibus Nostram sermone tuo significabis salutationem, caritatem pariter Nostram testaberis erga hanc dilectam Ecclesiae portionem, quae Portoricensi in regione ambulat.

Speramus fore ut de fructibus horum sacrorum sollemnium christifideles in America spiritum vere christianum in se ipsis foveant omnesque vires suas in evangelizationis opus, consolatione Spiritus uberrima impleti, impendere valeant.

Dum missionem Tuam, Venerabilis Frater Noster, Beatae Mariae Virginis a Divina Providentia praesidio commendamus, munus Tuum fidentes omnibus illic adstantibus optime esse cessurum, Nostram denique Benedictionem, caelestium gratiarum nuntiam, Tibi libenter impertimur, quam ad cunctos sacros Praesules, universum clerum, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates et christifidelium omnium communitatem pertinere volumus.

Datum Romae, Laterani, die XXII mensis Octobris, in memoria s. Ioannis Pauli II, papae, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS
